REVERENDISSIMO, ET SERENISSIMO
PRINCIPI, DOMINO

D. CLEMENTI WENCESLAO,

ARCHI-EPISCOPO TREVIRENSI,
S.R.I. PER GALLIAM, ET REGNUM ARELATENSE
ARCHI-CANCELLARIO,
AC
PRINCIPI ELECTORI,
EPISCOPO AUGUSTANO, COADJUTORI ELWACENSI, ADMINISTRATORI PRUMIENSI PERPETUO, PRINCIPI REGIO POLONIÆ, ET LITHUANIÆ, DUCI SAXONIÆ, JULIÆ, CLIVIÆ, MONTIUM, ANGARIÆ, ET WESTPHALIÆ, LANDGRAVIO THURINGIÆ, MARCHIONI MISNIÆ, NEC NON SUPERIORIS ET INFERIORIS LUSATIÆ, COMITI-PRINCIPI HENNEBERGENSI, COMITI MARCHIÆ, RAVENSBERGÆ, BARBII, ET HANNOVIÆ, DYNASTÆ IN RAVENSTEIN &c. &c.

DOMINO MEO CLEMENTISSIMO.

REVERENDISSIME, AC SERENISSIME ARCHI-EPISCOPE,
S. R. I. PRINCEPS ELECTOR,
DOMINE DOMINE CLEMENTISSIME.

Inter nubes in sublimi suspensas, & terram hanc nostram perpetua est actionum vicissitudo, & constans officiorum reciprocatio, cum vapores ex hâc, mediante Aëre, qui velut commune emporium aut cribrum naturæ est, continuò sursum ascendant, & in nubes coeant, istæque tandem resolutæ nivem nobis & pluviam demittant. At vero inter cœlestes stellas & nostram tellurem mutuum ejusmodi commercium non reperitur: Illæ tum lumine suo, tum aliis influxibus ità nos afficiunt, ut nullum à nobis influxum accipiant vicissim: Illis similes estis Vos magni Principes *in politico hujus mundi firmamento: Illuminatis, dirigitis, fovetis subjectas vobis gentes, quin ullum ab iisdem influxum vicissim recipiatis. Et Tu quidem SERENISSIME PRINCEPS ELECTOR, ex maximo Familiæ, virtutumque Tuarum splendore es inter superiores illas una primæ magnitudinis stella, præterquam quod sol sis nobis propinquior, qui, cùm subditos omnes Clementiæ tuæ radiis animes, vegetésque, me etiam singulariter eorum*

vini sentire fecisti Secretarii in Curiâ Tuâ ecclesiastica Trevirensi spartâ mihi clementissimè demandatâ. Pro gratiosissimâ officii istius collatione, cum in perpetuum grati animi, maximæque devotionis meæ publicum Argumentum Theses has jam offeram, nihil tamen gratiis Tuis aut meritis rependo, sed hoc ipso potius novam gratiam accipio, quod obscurum munusculum meum SERENISSIMO NOMINE TUO præfixo illustrari patiaris. Quod igitur solum superest: illum, qui Rex Regum est, & Dominus Dominantium, devotissimo semper affectu implorabo, ut SERENITATEM TUAM populo treverico diutissimè servet, conservetque. Ita sub profundissimâ genuflexione

SERENITATI TUÆ ELECTORALI

Apprecatur Servorum infimus
CHRISTIANUS KOHL.